

**Legatio Marchionis Lavardini Romam, Ejusquè Cum  
Romano Pontifice Innocentio Undecimo Dissidium**

**Sfondrati, Celestino**

**[S.I.], 1688**

17. An in causis temporalibus locus sic Excommunicationi? & quid de  
minis & periculis à Lavardino declamatis?
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62944](#)

Cardinalis socordia, si obmutuisset, cùm tam multis ex causis ad dicendum urgeatur: imò non tantùm dixit, sed etiam scripsit: at veritas & justitia causæ, vocem & calamum vicit.

XVII. Duodecimò: (a) Nam, inquit, Pontificem decuit, sustinenda causa merè temporali ac politice (qualis est, quæ Asyla Legatorum spectat) sacram dignitatem, pacemq; statū Ecclesiastici, imo totius forsitan Europæ periculo exponere.

Rx. Credo equidem, quando Innocentius de abrogandis Asylis cogitavit, id primùm & ante omnia expendisse, plus boni an mali hæc mutatio pareret: nec improvisa illi pericula, quæ modò narrantur; sed tanti non erant, ut tam sanctum & necessarium opus morari debarent, idque justissimis ex causis, ut jam commemorabo, juvatq; longius immorari rationibus exponendis, quæ Pontificem obfirmârunt; video enim id potissimum Innocentio objectum, ac præstetim ab Estreo Cardinali, cùm votum suum

(a) Fol. 4.

suum calamo exponeret; videlicet imperitos Medicos Pontificem imitatum esse, quando morbum mederi aggressus est pejori remedio. Sed nego, mecum què negabunt, quotquot pacatis, placidique animis rem totam considerant, debuisse videlicet tam gravein, plenum què flagitijs abusum ferri metu malorum, quæ jam tum præviderat, & nunc tanto strepitu à Gallis præcinuntur.

Nam *Primo* supponunt Galli, Jus & immunitates Asylorum rem esse merè politicam & temporalem; at maximè falluntur: cùm enim infinita sint flagitia, quæ illorum causâ, & spe impunitatis patrabantur; idquè omnium Nationum, quæ Romam concurrunt, pessimo exemplo; oportuit Asyla considerari non solum ut loca, in quibus Principis potestas & Jurisdictio violatur; sed etiam in quibus suprema Dei Majestas gravissimis injurijs afficitur; at verò quid magis ad Christi Vicarium pertinet, quam quovis humano respectu seposito cavere, ne Christus tam indignè offendatur,

cum  
urge-  
etiam  
, vo-  
n, in-  
causa  
, que  
digni-  
no to-

Inno-  
tavit,  
diffe-  
reret:  
modò  
ut tam  
ri de-  
ut jam  
nmo-  
ontifi-  
potis-  
ræser-  
otum  
faum

tur, & tot animæ pessimeant Christi Sanguine redemptæ? non ergo causa Asylorum est causa merè prophana, nisi forte illis solis, qui nullâ Dei &c animarum curâ tanguntur.

*Deinde* suprema Pontificis Jurisdictio, quæ tot Asylis in urbe violatur, non est inter causas merè prophanas censenda; quæ enim ad Ecclesiam pertinent, Deo dicata sunt, nec possunt sine sacrilegio usurpari. Id tam certum, ut nihil frequentius iam ab initio florentis Ecclesiæ sit à Patribus inculcatum: omittoq; exempla & testimonia Patrum jam alibi narrata. Cadit ergo præcipua Lavardinatio, cùm videlicet negat, prudenter Innocentium fecisse, quod in causa merè temporali & politica sacram Pontificis dignitatem cum Regia colliserit, adduxeritquè in tantum discrimen.

*Tertio.* Si tories Pontifici abstinentiam est salubribus Consilijs, quoties Principes minantur, & bellum eminus ostentant; quid unquam præclari audebit? Si ergo Roman sibi Galli postulaverint,

rint, alioquin bellum illaturi, qui totam  
Europam incendant, num ideo Pontifi-  
ces cedent, bellumq; & minas rediment  
Christi patrimonio? Si semel Pontifices  
minis se frangi, vincique patientur, idq;  
Principes obseruent, nullum facient fi-  
nem petendi, minandique. Aequum  
ergo non fuit, ut Pontifex à proposito  
delendi Asyla moveri se pateretur solo  
metu & terrore futurorum. Fecit Ponti-  
fex, quod muneris sui, quod necessitas,  
quod publica & privatorum salus, imò  
quod DEI causa (toties in Asylis of-  
fensi) exigebant; idque nullus Princi-  
pum, si Gallos excipias, non maximè ap-  
probavit, ratumq; habuit; si ergo bel-  
lum & turbæ à Gallis sequantur, cujus  
amabò culpâ id fiet? sua retinentis, an  
ripientis aliena? & quando magis,  
quam in justa causa cœlesti patrocinio  
fidere, nitique Pontifices debent? si  
omnia aut fato, aut casu evenirent, nul-  
lā in rebus humanis DEI providentiā  
ego quoquè honestis consiliis utilia  
præferrem, sed quandoquidem constat

G

omnia,

omnia, ac præsertim Ecclesiam, Dei nutu  
gubernari, nunquam persuaderime pa-  
tiar, ut credam Deo placere sordida con-  
silia, aut secunda fore. Hæc non mea,  
sed Apostoli sententia est: (a) *Perdam  
sapientiam sapientium, & prudentiam pru-  
dentium reprobabo: nonne stultam fecit  
Deus sapientiam hujus saeculi?* Verbo, si  
bellandum est, malim Pontifices cum  
Gallis, quam cum DEO & conscientia  
bellum suscipere.

*Quartò.* Cùm dicitur, minus esse ma-  
lum Regi Galliæ Asylum sponte cedere,  
quam vim & bellum experiri; oportet  
non Asylum tantum expendere, ejusquè  
cessionem, sed omnia, quæ hâc cessione  
proventura sunt; nam & arborem non  
solam, sed cum fructibus æstimamus. Si  
Pontifex Gallo cedat, eadem ratione &  
Hispano, & Anglo, & omnibus Princi-  
pibus cedendum erit Asyla postulan-  
tibus: at quanta hinc confusio flagitiis  
impunè florentibus, & totâ ferè Româ  
in speluncam Latronum conversâ? Imo  
multò quam ante gravius malum, expers-

(a) *1. Corinth. 1.*

que

què remedij: crescit enim Legatorum  
licentia, quando se victores, victum Pon-  
tificem cernent. Revocentur in memo-  
riam & mala, & pericula, quæ paucis  
mensibus contigere, Lavardino non Le-  
gatum Romæ, sed Regnatorem agente,  
quamvis invito & obnitente Pontifice?  
quid rogo fiet, si & perpetua & pacifica  
sit hæc Asylorum dominatio; & omni-  
um Principum Legatis permissa? imò  
non Legatis tantùm, sed omnibus idem  
jus affectantibus? Oportebit sanè aut  
Pontificem Româ excedere, aut preca-  
riò & ex magnatum arbitrio vivere, hoc  
est, servi non Principis more, & exem-  
pto nullibi terrarum viso. Quod possit  
malum comparari tam indignæ servi-  
tutis? nequè hîc finis, ubi enim semel  
Principes vicerint, & prætextu Asyli, ut  
nuper Lavardinus, urbem armis, Clien-  
telis, factionibus impleverint, ijdem,  
quibus nunc & paribus minis alia Ponti-  
ficium jura, quoties libuerit, involabunt;  
imò nec tuta Pontificum & libera ele-  
ctio; redibitque Ecclesia in pristinam;

servitutem, quando videlicet sub Dominatu Tusciae Marchionum Pontificis elec<sup>tio</sup> non liberis suffragiis, sed pretio, amissione agebatur, imo ex voto meretricum, quae in aula magis placuissent. Merito igitur Innocentius etiam principia omnemque speciem externi Dominatus, deleta voluit, ne frustra essent remedia morbo jam valido; nec ullum malum credidit huic posse comparari.

Quintò. Sed & Patrum exempla Pontificem nostrum docuere, ne in tam justa & necessaria causa minis, vanisque terroribus cederet. Nulla planè virtus Magnum Pontificem ut magnanimitas & constantia decet, nec alia magis in Patribus floruit primitivæ Ecclesiæ, quando perpetuæ cum Principibus lites crucem aversantibus. Infinitus sim, si omniat censem; memoriâ repetatur, quantis minis egerit Justina contra Ambrosium, Eudoxia contra Chrysostomum, Valens Imperator contra Athanasium; quitan men nullo unquam terrore moveri poterant, ut à sententia decederent: & tamen illi,

illi, qui minabantur, non Galliae aut Hispaniae Reges erant, sed totius Orbis, Europæ videlicet, Africæ, Asiæquæ Imperatores. Quibus verò minabantur, Episcopit tantum: quantum ergo pudoris, si Pontifices paveant, Episcopis intrepidis, metuquæ liberis? & denique quidquid Galli irascantur, nunquam Orbis terrarum credet, Ludovicum Regem illi Ecclesiæ bellum illaturum, à qua ejus stirps coronam accepit. Nam quæ gloria tanto Regi arma in Sacerdotes vertisse, & Patrem ac Pontificem suum ideo bello pulsâsse, quia non voluit, quod non licuit? Ergo cùm Romam Gallus expugnaverit, Portis Vaticani hæc inscriptio grandibus litteris incidetur: *Templum Religionis, quod Christus fundavit, Petrus erexit, Pipinus dotavit, Ludovicus destruxit?* Non potest id fieri, quidquid Galli minentur.

XVIII. Decimotertio, (a) Conqueritur Lavardini Defensor: *Omnia Pontifices in pejus interpretari. Vocari exercitus*

G 3 paucos

(a) Fol. 5.